

& imperata, ipse etiam *versiculus* 8. haud obscure videtur insinuare id, quod diximus. Jubentur ibi cavere Colossenses, ne quis sit, qui deprendetur eos aut libertate sua exuat per Philosophiam & inanem seductiōnem, secundum traditionem hominum, secundum elementā mundi (κατὰ τὰ σοιχεῖα τὸ κόσμον) & non secundum Christum. Commodo hic Georg. Calixtus in Exposit. Liter. cum Jos. Scaligero per Philosophiam deceptricem hominumque traditiones intelligit placita Judæorum Essorum, aut aliis sectæ ex his prognatæ; quandoquidem & Josephus & Philo & Eusebius Judaicarum sectarum studia Philosophiæ titulo insignit, & quæ de Essenis speciatim ex Philone memorat Calixtus, quam optime cum his conveniunt, quæ per totum Caput. II. Apostolus reprehendit. Habemus ergo hic 1.) iterum cæremonias Judaicas astrorum cursu directas. Sed & 2.) notandum, quod in textu traditiones hominum seu præceptiones rituum Judaicorum sub Novo Fœdere abrogatorum, ab elementis mundi distinguantur, tanquam id, quod secundum elementā mundi, aut ad normam & præscriptum elementorum sit compositum. Itaque τὰ σοιχεῖα τὸ κόσμον in se diversum quid esse oportet a Lege cæremoniali, sed quid aliud, nisi corpora mundana, Judaicis ritibus modum statuentia?

V. In *versu hujus Capitis* 20. non multum nobis est laborandum: Dicit Apostolus, Colossenses cum Christo mortuos, i. e. per baptismum participes fructuum mortis Christi redditos, sec. Rom. VI. 4. 8. libera tos esse ab elementis mundi, ita scilicet, ut non amplius sint δεδελομένοι ὑπὸ τὰ σοιχεῖα τὸ κόσμον, eo sensu, quem ad Galat. IV. 3. observavimus.

Scholium.

Quamquam in veritatis inquisitione non tam auctoritate & suffragiis aliorum, quam rationibus niti decet, tamen ne cui novitatis titulo hæc sententia & interpretatio suspecta videatur, visum est Chrysostomi Patris disertissimi & Græcæ literaturæ peritissimi paria de his Scripturæ locis cogitata saltem ex Æg. Menagio l. d. citare, qui ad Coloss. II. σοιχεῖα κόσμον ait Solem & Lunam ab Apostolo vocari, perinde ut in Epist. ad Galatas. Gal. IV. autem τὰ σοιχεῖα τὸ κόσμον exponit de Noviluniis & Sabbatis, addita ratione: ἀντοι γὰρ ἡμῖν αἱ ἡμέραι ἀπὸ δὲμος σελήνης οὐκ ἡλίου γίνονται. Verum & ex recentioribus Nic. Zegerus in Gal. IV. 3. ita est commentatus. Hic & rursus v. 9. Elementa mundi hujus vocat crassas